

EPISTOLARVM 750

SELECTARVM

CICERONIS LI. 3

BRI DVO.

Quæ ob perspicuitatem sententiarum, & rerum
varietatem literarijs ludis nunc denuò con-
gestæ sunt, & distinctæ.



Cum facultate Superiorum.

VLYSSIPONE:

Ex Officina Georgij Rodetici. Año. 641

Acuſta de Pero Linquez Mercador de Lintros.

EPISTOLARVM

SELECTARVM

CICERONIS L. I.

PRIDI DVO.

Epistolarum selectarum, & librorum
Ciceronis in hunc modum
Epistolarum distinctas



Exemplum in Bibliotheca Superiorum.

ALYSIOPONE.

Officina Georgii Rodolphi. Anno 1717.

Actum in hunc modum in hunc modum

L I C E N C A S.

P Odenſſe imprimir as Epiftolas de Cícero, de que ſe faz menção, viſto ſerẽ imprefſas no anno de 1631. com licença com licença do Conſelho, as quaes tornarão de pois de imprefſas para ſe conferir com o original, & ſe dar licença para correrem, & ſem ella não correrão. Lisboa 25. de Setembro 1640

*P. da Sylva. Francisco Cardoso do Torneo.
Sebaſtião Ceſar de Meneſes.
Diogo Ozorio de Caſtro. O Deão de Braga*

P Odece imprimir Lisboa 4. de Março de 641.

O Biſpo de Targa.

Que ſe poſſaõ tornar a imprimir eſtas Epiftolas, viſto as licenças do San&to Officio, & Ordinario que offerece, & depois de imprefſas tornem para ſetaxar & ſem iſſo não correrão Lisboa 5. de Março de 641.

João Sanchez de Baena, Fialho, Ceſar, Meneſes.

Conferi estas Epistololas de Cicero
com as que já foram impressas na
forma do despacho do Conselho ge-
ral do Sancto Officio, e estão confor-
mes. Lisboa 23. de Abril de 641.

Frey Antonio das Chagas.

Visto estarem conformes com
o original podem correr es-
tas Epistololas de Cicero. Lis-
boa 16. de Abril de 1641.

*P. da Sylva. Francisco Cardoso do Torneo.
Sebastião Ceser de Meneses.*

Taxão este Livro em vinte reis em papel
Lisboa 9. de Abril de 641.

Inão Sanches de Baena.

Meneses

M. T. CICERO TEREN

TIAE S. P. D.

Famil. lib. 14. Epist. 22.

SI vales, bene est, ego valeo. Nos quotidie tabellarios vestros expectamus, qui si venerint fortasse erimus certiores, quid nobis faciendum sit, faciemusque te statim certiozem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Calend. Septemb.

M. T. C. Terentia S. P. D. Fa. 14. 21.

SI vales, bene est, ego valeo. Da operam, ut conualescas: quod opus erit, ut res, tempusque postulat, provideas, atque administres, & ad me de omnibus rebus quam saepissimè literas mittas. Vale.

M. T. C. Terentia S. P. D. Fa. 14. 8.

SI vales, bene est, ego quidè valeo. Valetudinem tuam velim cures diligentissimè. Nam mihi, & scriptum, & nuncium

si est, te in febrim subito incidisse. Quod
 celeriter me fecisti de Cæsaris literis cer-
 tiorem, fecisti mihi gratum. Item posthac
 si quid opus erit, si quid acciderit inoui, fa-
 cies ut sciam. Cura ut valeas. Vale, datum

4. nonas Iunias.

M. T. C. Terentia S. P. D.

Fam. lib. 14. Ep. 14.

SI vales, bene est, valeo. Nos neque de
 Cæsaris aduentu, neque de literis,
 quas Philotimus habere dicitur, quicquam
 adhuc certi habemus. Si quid erit certi, fa-
 ciam te statim certiorem. Valetudinem
 tuam fac ut cures. Vale. 3. Idus Sextilis.

M. T. C. Terentia S. P. D.

Fam. lib. 14. Ep. 23.

SI vales, bene est, valeo. Reddita mi-
 hi iam tandem sunt à Cæsare literæ
 satis liberales, & ipse opinione celerius
 venturus esse, dicitur. Cui utrum obuiam
 procedam, an hic eum expectem, cum
 consili-

constitucto faciam te certiozem, tabellarios mihi velim quamprimum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale: prid. Cal. Sex.

M. T. C. Terent. S. P. D. Fam. 14. 17.

SI quid haberem, quod ad te scriberem, facerem id, & pluribus verbis, & saepius. Nunc quae sunt negotia vides. Ego autem quomodo sim affectus, ex Lep- ta, & Trebatio poteris cognoscere. Tu fac, ut tuam, ut Tulliae valetudinem cures. Vale.

M. T. C. Terentiae. S. P. D.

Fam. lib. 14 Ep. 15.

SI vales, bene est, valeo. Constituera- mus, ut ad te antea scripseram, obuiam Ciceronem Caesari mittere. Sed mutauimus consilium, quia de illius adueru nihil au diebamus. De caeteris rebus, & si nihil erat noui, tamen quid velimus, & quid hoc tempore putemus opus esse, ex Siccā poteris cognoscere. Tulliam adhuc merum

tenco. Valetudinem tuam cura diligenter.
Vale. 12. Cal. Quint.

M. T. C. Terent. S. P. D. Fam. 14. 19.

IN maximis meis doloribus excruciat
me valetudo Tullia nostræ. De qua ni-
hil est, quod ad te plura scribã: tibi enim
æque magnæ curæ esse certô scio. Quod
me propius vultis accedere, video esse fa-
ciendum: etiã ante fecissem, sed me
multa impedierunt, quæ ne nunc quidem
expedita sunt. Sed à Pomponio expecto
litteras, quas ad me quãprimùm per-
ferendas cures velim. Da operam, vt
valcas.

M. C. T. Terentia. S. P. D.

Fam. lib. 14. Ep. 12.

QUod nos in Italiam saluos venisse
gaudes, perpetuô gaudeas velim.
Sed perturbatî dolore animi, magnisque
iniurijs, metuo ne id consilij ceperimus,
quod non facilè explicare possimus. Qua-
re quantum potes, adiuua, Quid autem
possis

possis, mihi iam mentē non venit. In viam quòd te des hoc tempore nihil est, & longum est iter, & non tutum. Et non video quid prodesse possis, si veneris. Vale. Datum pridie nonas Nouemb. Brundusij.

M. T. C. Terentia S. F. D.

Famil. lib. 14. Epist. 11.

SI vales, bene est, valeo, Tullia nostra venit ad me pridie Idus Iunij, cuius summa virtute, & singulari humanitate, grauiore etiā sū dolore affectus, nostra factū esse, negligentia, vt lōge alia in fortuna esset atq; eius pietas, ac dignitas postulabat? Nobis erat inanimo Cicreone ad Cæsare mittere, & cū eo Gn. Sallustiū. Si profectus erit, faciam te certiozem. Valetudinem tuam diligenter cura. Vale. xiiij. Calend. Quintilis.

M. T. C. Tironi. S. P. D.

Fam. lib. 15. Epist. 2.

SEptimum iam diem Corcyrae tenebamus

LIBER

bamur. Q. autem frater, & filius Buthroti solliciti eramus de tua valetudine mirum in modum: nec mirabamur nihil à te literarū, ijs enim ventis istinc nauigatur, qui si essent, nos Corcyrae nō sederemus. Cura igitur te, & confirma, & cum commodè & per valetudinem, & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantissimos tui veni. Nemo nos amat, qui te non diligat. Charus omnibus, expectatusque venies. Cura vt valeas, etiam atque etiam, Tiro noster Vale, 25. Cal. Nouemb. Corcyrae.

M. T. C. Tironi. S. P. D.

Famil. 16. Epistol. 4.

NON quo ad te, nec lubet scribere, quo animo sim affectus, tantū scribō, & tibi, & mihi maximæ voluptati fore, si te firmum quamprimū videro. Tertio die abs te ad Alyziam accesseramus. Is locus est citra Leucadem stadia C. XX. Leucade aut te ipsum, aut tuas literas à Marione

ratione putabam me accepturum. Quantum me diligis, tantum fac ut valeas, vel quantum te à me scis diligere. Nonis Nouembris. Alyzia.

C. Filius Tironi. S. P. D.

Fam. lib. 16. Ep. 25.

ET si iusta, & idonea usus ex excusatione intermissionis literarum tuarum: tamen id ne sæpius facias, rogo. Nam, & si de Reipub. rumoribus, & nuntijs certior fio, & de sua in me voluntate semper ad me perscribit pater, tamē de quavis minima re scripta à te ad me epistola semper fuit gratissima. Quare cū in primis tuas desiderem literas, nolī committere, ut excusatione potius expleas officium scribēdi, quàm assiduitate literarum. Vale.

M. T. C. Seruio Sulpitio. S. P. D.

Famil. lib. 13. Ep. 26.

HAgeffaretus Larissæus magnis meis beneficijs ornatus in consulatu meo memor, & gratus fuit, meque postea dili-

L I B E R

ligentissimè coluit. Eum tibi magnopere commendo, vt & hospitem meum, & familiarem meum, & gratum hominem, & virum bonum, & principem ciuitatis suæ, & tua necessitudine dignissimū. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, vt is intelligat hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

M. T. C. Trebatio. S. D.

Fam. 7. 18.

E Pistolam tuam, quam accēpi ab L. A. Aruntio conscidi innocentem; nihil enim habebat, quod nō vel in concione rectè legi posset, sed & Aruntius ita te mandasse aiebat, & tu adscripseras. Verum illud esto: nihil te ad me postea scripsisse demiro, præsertim tam nouis rebus. Vale.

M. T. C. Q. VAL. Q. FIL. S. D.

Famil. 13. 6.

P Vb. Cornelius, qui tibi has literas reddidit,

didit, est mihi à P. Cuspio cōmendatus, cuius causam quanto opere cuperem, deberemque profectō ex me facile cognouisti. Vehementer te rogo, cures, vt ex hac commendatione mihi Cuspius quàm maximas, quàm primùm, quàm sēpissimè gratias agat.

M. T. C. S. P. D. Memmio.

Famil. lib. 13. Epist. 3.

Avlum Fusium vnū ex meis intimis, obseruantissimum, studiosissimumque nostri, eruditū hominē, & summa humanitate, tuaque amicitia dignissimū, velim ita tractes, vt mihi coram recepisti. Tā mihi gratū id erit, quàm quod gratissimū. Ipsū prætereā summo officio, & sūma obseruātia tibi in perpetuū deuinxeris. Vale.

M. T. C. S. D. Cornificio, Famil.

lib. 12 Epist. 27.

Sextus Aufidius & obseruantia, qua me

LIBER

colit, accedit ad proximos, & splendore equitis Romani nemini cedit. Est autem ita temperatis, moderatisque moribus, ut summa seueritas summa cum humanitate iungatur. Cuius tibi negotia, quæ sunt in Africa, ita commendo, ut maiore studio, magisque ex animo commendare non possim, Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat meas apud te literas maximum pondus habuisse. Hoc te vehementer mihi Cornifici rogo. Vale.

CICERO BASILIO S.

Famil. 6. 15.

Tibi gratulor, mihi gaudeo, te amo, tu tucor, a te amari, & quid agas, quidque agatur certior fieri volo. Vale.

D. Brutus Imp. Tul. Cic.

S. P. D. Fam. II. 4.

Si de tua in me voluntate dubitare, multis a te verbis peterem, ut dignitatem ^{me} amauerere: sed profecto ita est, ut mihi

per

persuasi, me tibi esse curæ . Progressus
 sum ad Transalpinos cum exercitu , non
 tam nomen captans imperatorium, quàm
 cupiens militibus satisfacere, firmosque
 eos ad tuendas nostras res efficere, quod
 mihi videor consecutus: nam & liberalita
 tem nostram, & animum sunt experti: cū
 omnium bellicosissimis bellum gessi, mul
 ta castella cepi, multa vastavi, nō sine cau
 sa ad senatum literas misi. Adiqua nos tua
 sententia, quōd cum facies, ex magna par
 te communi commodo inseruieris. Vale.

M. T. C. Servio Sulpitio S. P. D.

Famil. 13. 20.

A Sclapone Patrensi medico vtor valdē
 familiariter, eiusque tum cōsuetudo
 mihi iucūda fuit: tum etiam ars, quā sum
 expertus in valetudine meorum: in qua
 mihi tum ipsa scientia, tum etiam fidelita
 te, beneuolentiaque satisfecit. Hunc igitur
 tibi cōmendo, & à te peto, vt des operam,

LIBER

vt intelligat diligenter me scripsisse de se,
meamque cōmendationē vsui magno sibi
fuisse. Erit id mihi vehemēter gratū. Vale.

M. T. C. Ampio S. P. D.

Famil. 10. 29.

DE meo studio erga salutem, & incolu-
mitatem tuam, credo te cognoscere
ex literis tuorū, quibus me cumulatissime
satisfecisse certò scio, nec his concedo,
quamquam sunt singulari in te beneuolē-
tia, vt te saluum malint, quā ego. Illi mi-
hi necesse est concedant, vt tibi plus, quā
ipsi hoc tempore prodesse possim, quod
quidem nec desitū facere, nec desistam, &
iam in maxīma re feci, & fundamenta ieci
salutis tuę. Tu fac bono animo, magnoq;
fis, meque tibi nulla re defuturum esse
confidas. Pridie non. Quin. Vale.

M. T. C. M. Mario S. P. D.

Famil. 7. 4.

A Dix. Calendas Iulias in Cumanum
veni

veni cum Libone tuo, vel nostro potiùs: in Pompeianum statim cogito. Sed faciã te ante certiozem. Tecum semper valere cupio, tu certè, dum hic sumus. Vides enim quanto post vnà futuri sumus. Quare si quid cõstitutum cum podagra habes, fac in alium diem differas. Cura igitur ut valeas, & me hoc biduo, aut triduo expecta. Vale.

Cicero Planco Imp. Cons. D:si. S. P. D.

Famil. IO. 14.

O Gratam famam, biduo ante victoriã, de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copijs, atque etiã hostibus fuis, spes omnis in te est. Fugisse enim ex prælio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces. Est enim non minus gratum extrema delere, quã prima depellere. Equidem expectabam iam tuas literas, idque cum multis sperabamque etiam Lepidũ temporibus admonitum, tecum & Reipub. factis esse facturũ: in illam igitur curam in-

cumbẽ

LIBER

cumbe, mi Plance, vt ne qua scintilla teter
rimi belli relinquatur. Quod si erit factū,
& Rémp. diuino beneficio affeceris, & ip-
se æternam gloriam consequere. Tertio
Idus Maij. Vale.

M. C. Papirio Pato S. P. D. Fa. 9. 23.

Heri veni in Cumanum, cras ad te for-
tasse. Sed cum certum sciam, faciam
te paulô antè certiozem. Et si Marcus Cè-
parius, cum mihi in sylua Gallinaria ob-
uiam venisset, quæsissemque quid ageres,
dixit te in lecto esse, quod ex pedibus la-
borares, tuli scilicet molestè, vt debui: sed
tamen cõstitui ad te venire, vt & viderem
te, & viderem, & cerneerẽ etiam. Non enim
arbitror cocum etiam te Arthriticum ha-
bere. Expecta igitur hospitem cum mini-
me edacem, tum inimicum cœnis sump-
tuosis. Vale.

M. C. S. D. Cn. Planco Fam. 4. 15.

ACcepi per breues tuas literas, quibus
id, quod scire cupiebam, cognoscere
non

non potui: cognouí autem id, quod mihi dubium non fuit. Nam quám fortiter ferres communes misérias, non intellexi: quám me amares, facile perspexi: sed hoc scieram, illud si scissem, ad id meas literas accommodassem. Sed tamen & si antea scripsi, quæ existimaui scribi oportere: tamen hoc tempore breuiter commonendum putavi, ne quo periculo te proprio existimares esse, in magno omnes, sed tamen in communi sumus: Quare nõ debes aut propriam fortunam, aut præcipuam postulare, aut communem recusare. Quapropter eo animo sumus inter nos, quo semper fuimus. Quod de te sperare, de me præstare possum.

Cicero Dolabella. S. D. Famil. 9. 12.

GRatulor Baijs nostris, siquidem, vt scribis, salubres repentè factæ sunt, nisi forte te amant, & tibi assentantur; & tandiu, dum ades, sunt oblitéæ sui: quod quidem, si ita est, minimè miror cælum etiam & terras

LIBER

& terras vim suam, si tibi ita conueniat, dimittere: Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod nō putaram. Itaq; eam tibi misi, velim sic legas, vt causam tenuem, & inopem, nec scriptione magnopere dignā, sed ego hospiti veteri, & amico munusculum mittere volui leuidense Crasso filio, cuiusmodi ipsius solent esse munera. Tu velim animo sapienti, fortiq; sis, vt tua moderatio, & grauitas aliorum infamēt injuriam. Vale.

M. T. C. Imp. M. Calio Aedili Curuli. S. P.

D. Famil. 2. 14.

FAbio viro optimo, & homine doctissimo familiarissimè vtor, mirificèque eum diligo, cūm propter summum ingenium eius, summamq; doctrinam, tum propter singulatē modestiam eius: negotiū sic velim suscipias, vt si esset res mea: noui ego vos magnos patronos, hominem occidat, oportet, qui vestra opera vti velit: Sed in hoc homine nullā accipio excusationem

tionem, omnia relinques si me amabis, cū tua opera Fabius vti volet. Ego res Romanas vehementer expecto, & desidero, in primisque quid agas scire cupio. Nā iam diu propter hyemis magnitudinem nihil noui ad nos afferebatur. Vale.

C. Trebatio S. D. Famil. 7. 22.

Illuferas heri inter scyphos, quòd dixeram cōtrouersiam esse, posset ne hæres, quod furtū antea factum esset, recte furti agere? Itaque & si domum bene potus, seroque redieram, tamen id caput, vbi hæc controuersia est, notavi, & descriptum tibi misi, vt scires id quod tu neminem sensisse dicebas, Sextum Helium, M. Manilium, M. Brutum sensisse. Ego autem Scæuolæ, & Testæ assentior. Vale.

M. T. C. D. Bruto. Imp. S. P. D.

Famil. 12. 15.

ET si mihi tuæ literæ iucūdisimæ sunt, tamen iucundius fuit, quòd in summa occupatione tua Planco collegæ mādasti,

vt te mihi per literas excusaret, quod fecit ille diligenter; mihi autem nihil amabilius officio tuo, & diligentia Coniunctio tua cum Collega, cōcordiaque vestra, quæ literis omnibus declarata est S. P. Q. R. gratissima accidit. Quod superest, perge mi Brute, & iam non cum alijs, sed tecū ipse certa Plura scribere non debeo, præfertim ad te, quo magistro breuitatis uti eegito. Literas tuas vehementer expecto, & quidem tales, quales maxime opto.

M. Cicero, T. Furvano Pratori S. D.

Famil. 6. 8.

CVM A. Cæcinnatanta mihi familiaritas, consuetudoque semper fuit, vt nulla maior esse possit. Nam & patre eius claro homine, & forti viro plurimum vti sumus, & hunc a puero, quod & spem mihi magnā afferebat summæ probitatis, summæque eloquentiæ, & vivebat mecum coniunctissimè non solum officijs amicitia, sed etiam studijs cōmunibus, sic semper

per dilexi, vt non vlllo cum homine con-
iunctiùs viuerem. Nihil attinet me plura
scribere, quod mihi necesse est eius salutē,
& fortunas quibuscūque rebus possim tu-
eri, vt vides. Reliquum est, vt cum cogno-
rim pluribus rebus, quid tu, & de bonorum
fortuna, & de Reip. calamitatibus sentires,
nihil à te petam, nisi vt ad eam voluntatē,
quam tua sponte erga Cæcinnam habi-
turus esses, tantus cumulus accedat com-
mendatione mea, quanti me à te fieri in-
telligo. Hoc mihi gratius facere nihil po-
test. Vale.

M. T. C. Cornificio Callega S. Famil.

12. 20.

GRATÆ mihi tuæ literæ, nisi quod Si-
nuessanum diuersoriorum contemp-
sisti. Quam quidem contumeliã villa pu-
silla in iquo animo feret, nisi in Cumano,
Pompeiano reddideris. Sic igitur facies,
meq; amabis, & scripto aliquo lacesses. E-
go enim respondere facilius possum quã
prouo.

L I B E R.

prouocare. Quod si, vt es, cessabis, lacef-
sam: nec tua ignauia etiam inertiam affe-
ret. Plura otiosus. Hæc eum essem in se-
natu exarauí. Vale.

M. T. C. Cornificio S. D. Famil. 12. 21.

CAius Anitius familiaris meus, vir om-
nibus rebus ornatus, negotiorum suo-
rum causa legatus est in Africam legatio-
ne libera, eum velim rebus omnibus adiu-
ues, operamque des, vt quam commodissi-
mè sua negotia conficiat. In primisque quod
ei carissimum est, dignitatem eius tibi
commendo. Idque à te peto, quod ipse in
provincia facere sum solitus non rogatus,
vt omnibus senatoribus lictores dare, quod
idem acceperam, & id cognoueram à sum-
mis viris factitatum. Hoc igitur mi Cor-
nifici facies: ceterisque rebus omnibus eius
dignitati, rei que si me amas, consules. Id erit
mihí gratissimum. Da operam, vt valeas.

M. T. C. Cassio. S. P. D. F. 12. 9.

Breuitas tuatum literatum me quoque
breuiorem

breuiorem in scribendo facit, & verè vt di-
cam, non satis occurrit, quid scribam. No-
stras enim res in actis perferri ad te cer-
tò scio, tuas autem ignoramus. Tamquã
enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad
nos, præter rumores de oppresso Dolabel-
la, satis illos quidem constantes, sed adhuc
sine authore. Nos confectum bellum cum
putaremus, repente à Lepido tuo in sum-
mam sollicitudinem adducti sumus. Itaq;
persuade tibi, maximam Reip. spem in te,
& in tuis cõpijs esse. Firmos omnino exer-
citus habemus, sed tamen vt omnia, vt spe-
ro, prosperè procedant, multum interest
te venire. Exigua est enim spes Reipubli-
cæ, nam nullam non libet dicere, sed quæ
cumque est, ea despondetur anno consula-
tus tui. Vale.

M. T. C. Acilio Proc. S. P. D. F. 13. 30.

L Veius Manlius est Sosis, is fuit Cati-
nensis, sed est vna cum reliquis Nea-
politanijs ciuis Romanus factus, Decurio-

que Neapoli. Erat enim adscriptus in id municipium, ante ciuitatem socijs, & Latinis datam. Eius frater Catinæ nuper mortuus est, nullam omnino arbitramur de ea hæreditate controuersiam eum habiturum: & est hodie in bonis. Sed quando habet prætereá negotia vetera in Sicilia sua, & hanc hæreditatem fraternam, omnia eius tibi commendo, inprimisque ipsum virum optimum, mihiq; familiarissimum his studijs literarum, doctrinaq; præditum, quibus ego maxime delector. Peto igitur abs te, vt cum siue aderit, siue non venerit in Siciliam, in meis intimis, maximeq; necessarijs scias esse. Itaq; tractes, vt intelligat meam commendationem sibi magno adiumento fuisse. Vale.

M. T. C. & Cicero. F. Tironi Humanis.

& Opt. S. D. P. F. 16. I.

Vide quanta in te sit suauitas, duas horas Thyrei fuimus. Xenomanes hospes tam te diligit, quam si vixerit tecum.

Is

Is omnia pollicitus est, quæ tibi esset opus facturum puto: mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportares, ut ibi te plane confirmares. Videbis quid Curio, quid Lysoni, quid Medico placeat. Volebam ad te Marionem remittere, quem cum meliusculè tibi esset, ad me mitteres: sed cogitavi vnas literas Marionem afferre posse, me autem crebras expectare. Poteris igitur, & facies, si me diligis, ut quotidie sit Acastus in portu. Multi erunt, quibus rectè literas dare possis, qui ad me libenter perferant. Equidem Patras euntem neminem prætermittam. Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo, nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. Eî te totum trade: malo te paulò post valentem, quàm statim, imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, nisi ut tu valeas, cætera ego curabo. Etiam atque etiam vale. Leucade proficiscens, septimo idus Nouembris.

Finis libri primi.

LIBER SECVNDVS.

M. T. Cicero T. P. Attico
S. ad Attic. Lib. 3. Ep. 28.

HX tuis literis, & ex re ipsa, nos funditus perisse video. Te oro, vt quibus in rebus mei tuis indigebunt, nostris miseris ne desis. Ego te, vt scribis, citò videbo: plura non scribo, cura vt valeas.

*M. T. Cicero T. P. Attico S. ad Attic.
lib. 3. Epist. 21.*

TRiginta dies erant lapsi, cum dabam has literas, per quos nullas à vobis acceperam: mihi autem erat in animo iam, vt antea ad te scripsi, ire in Epeirū, & ibi omnem casum potissimum expectare. Te oro, vt si quid erit, quod perspicias, quancunq; in partem quam plenissimè ad me scribas: & meo nomine, vt scribis, literas,

LIBER

quibus putabis opus esse, ut des. Valc. 5
Calen. Nouemb.

M. T. C. T. P. Attico S. Att. 3. 1.

EGo quod per Thessaliam si irem in E-
peirum, per diu nihil eram auditurus,
& quod mei studiosos habeo Dyrrachinos,
ad eos perrexi, cum illa superiora Thessalo-
nica scripsissem, inde cum ad te me con-
uertam, faciam, ut scias: tuq; ad me velim,
omnia quam diligentissime, cuiusmodi
sunt, scribas. Ego iam aut rem, aut ne spe
quidem expecto. Vale. 6. Cal. Decemb.
Dyrrhachij.

M. T. C. T. P. Attico S. Attico

lib. 3. Epist. 1.

Cum antea maxime nostra interesse ar-
bitrabar te esse nobiscum tu, vero, ut
legi rogationem, intellexi ad iter, quod
constitui, nihil mihi optatius cadere posse,
quam ut tu me quamprimam consequare,
ut ex Italia profecti essemus: siue per E-
peirum iter esset faciendum, tuo, tuorum-
que

que praesidio uteremur: siue aliud quid agendum esset, certum consilium de tua sententia capere possemus. Quamobrem te oro, des operam, ut me statim consequare: facilius potes, quoniam de Prouincia Macedonia perlata lex est. Pluribus verbis tecum agerem, nisi pro me apud te res ipsa loqueretur.

M. T. C. T. P. Attico S. ad Att.

lib. 3. Epist. 2.

ITineris nostri causa fuit, quod non habebam locum, ubi pro meo iure diutius esse possem, quam in fundo. Siccæ, praesertim nondum cognatione correctæ: & simul intelligebam, ex eo loco si iter haberem posse me Brundisium referre: sine te autem non esse nobis illas partes tenendas propter Antonium. Nunc ut ad te antea scripsi, si ad nos veneris, consilium totius rei capiemus: iter esse molestum scio, sed tota calamitas, non eas molestias habet. Plura scribere non possum, ita sum animo

LIBER

perculso, & abiecto, cura ut valeas. Dat. 9.
Idibus Aprilis Narva Loeridis.

M. T. C. T. P. Attico. S. At. 3. 3.

Vtinam illum diem videam, cum tibi
agam gratias quod me vincere coe-
gisti. Adhuc equidem valde me poenitet,
sed oro, ut ad me Vibonem statim venias,
quod ego multis de causis conuerti iter
meum, sed eo si veneris, de toto itinere,
ac fuga mea consilium capere potero: si id
non feceris, mirabor, sed confido te esse
omnino facturum. Vale.

M. T. C. T. P. Attico S. At. 3. 5.

Terentia tibi & saepe, & maximas gra-
tias agit, id est mihi gratissimum: ego
enim viuo miserrimus, & maximo dolore
conficior: ad te quid scribam, nescio. Si e-
nim es Romae, iam me assequi non potes:
si es in via, cum eris me assecutus, coram
agemus quae erunt agenda, tantum te oro,
ut quoniam me ipsum semper amasti, eo-
dem amore sis. Ego enim idem sum. Ini-
mici

mici mei mea mihi, non me ipsum ademerunt. cura ut valeas. 8. Id. Apr. Turi.

M. T. C. T. P. Att. S. Att. lib. 3. 6.

NON fuerat mihi dubium, quin te Tarenti, aut Brundusij visurus essem: Idque ad multa pertinuit in eis, & ut in Epeiro confisteremus, & de reliquis rebus tuo consilio uteremur, quoniam id non contingit, erit hoc quoque in magno numero nostrorum malorum. Nobis iter est in Asiam, maxime Cizicum, tibi meos commendo, me vix, misereque sustento. Vale.

Dat. 14. Cal. Maij. Tarenti.

M. T. C. T. P. Attico S. At. 3. 26.

Post tuum a me discessum literæ mihi Roma allatæ sunt, ex quibus prospicio nobis in hac calamitate tabescendum esse neque enim (sed bonam in partem accipies) si vlla spes salutis nostræ subesset, tu pro tuo amore in me hoc tempore discessisses, sed ne ingrati, aut ne omnia velle nobiscum unâ interire videamur, hoc ommitto: il-

lud

L I B E R

Ind abs te peto, des operam id, quod mihi affirmasti, vt te ante Calend. Ian. vbi-
cunq;erimus, sistas. Vale.

M. T. C. T. P. Attico S. At. 3. 16.

Torum iter mihi incertum facit expe-
ctatio literarum tuarum Calēdis Sex-
tilis datarum non aliud aliquid. Si spes
erit, Epeirum: sin minus, Cyzicum, aut
aliud quid sequemur. Tuæ quidem literæ,
quò sæpius à me leguntur, hoc spem faci-
unt mihi minorum, quàm cum lectæ sunt,
tum id quod attulerunt ad spem infirmēt
vt facile appareat te & consolationi serui-
re, & veritati: idq; te rogo plane, vt ad me
quæ scis, vt erunt, quæ putabis, ita scribas.
Vale. Dat. 12. Calend. Septemb.

M. T. C. T. P. Attico S. Ad Attic.

lib. 3. Epist. 18.

Expectationem nobis non paruum at-
tuleras, cum scripseras Varronem tibi
pro amicitia confirmasse causam nostram
Pompeium certè suscepturum, & simul ac

à Cæ.

à Cæsare ei literæ, quas expectaret, remissæ essent, autorē etiam daturum: vtrum id nihil fuit, an aduersatæ sunt Cæsaris literæ an est aliquid in spe: etiam illud scripseras eundem secundum comitia dixisse. Fac, si vides quantis in malis iaceam, & si putas esse humanitatis tuæ, me fac de tota causa nostra certiozem, nam Quintus Frater, homo mirus, qui me tam valde amat, omnia mittit spei plena, metuens credo defectionem animi mei. Tuæ autem literæ sunt variæ: neq; enim me desperare vis, nec temerè sperare. Fac obsecro te, vt omnia quæ à te prospici possunt, sciamus. Vale.

M. T. C. T. P. Attico S. Att. 3. 11.

ME, & tuæ literæ, & quidam boni nuntij, non optimis tamen authoribus, & expectatio vestrarū literarū, & quod tibi placuerat, adhuc Thessalonicae tenebāt, si accepero literas, quas expecto, si spes erit ea quæ rumoribus afferebatur, ad te me cōferam

feram: si non erit, faciam te certiore
 quid egerim. Tu me, ut facis, opera, con-
 silio, gratia iuua. Consolari iam desine: ob-
 iurgare verò noli. Quod cum facis, ut ego
 tuum amorem & dolorem desidero, quem
 ita affectu mea ærumna esse arbitror, ut
 te ipsum consolari nemo possit. Quintum
 Fratrem optimum, humanissimumque suste-
 ta. Ad me, obsecro te, ut omnia certa per-
 scribas. Dat. 4. Calend. Quintil.

FINIS.

EPISTOLARVM 23

SELECTARVM

CICERONIS LI.

BER. II. 4

Quæ ob perspicuitatem sententiarum, & rerum
varietatem literarijs Iudis nunc denuò con-
gestæ sunt, & distinctæ.



Cum facultate Superiorum.

VLYSSIPONE.

Ex Officina Georgij Roderici. Año. 641

EPISTOLARVM

SELECTIONVM

GIJERONIS ET

ALII

QVORVM

LIBRI

DE

OFFICIO

ORATORIS


ET

ALIIS

LIBRIS

CICERO S. D. CVRIONI.

Famil. lib. 2. epist. 3.


 VPÆ studiū non defuit de-
 clarandorum munerum tuo
 nomine: sed nec mihi placuit,
 nec cuiquam tuorum, quid-
 quam, te absente fieri; quod tibi,
 cum venisses, non esset integrū, meam
 quidem sententiam aut scribam ad te po-
 stea pluribus: aut, ne ad eā meditere, im-
 paratum te offendam; coramq; contra
 istam rationem, meam dicam: vt aut te in
 meam sententiam adducam; aut certè tes-
 tatum apud animum tuū relinquam, quid
 senserim; vt, si quando, quod nolim, dis-
 plicere tibi tuum consiliū cæperit, possis
 meum recordari. Breui tamen sic habeto,
 in eum statum temporum tuum reditum
 incidere, vt ijs bonis, quæ tibi natura, stu-
 dio, fortuna data sunt, facilius omnia, quæ
 sunt in repub. amplissima, cōsequi possis,
 quàm

LIBER.

quàm muneribus : quorum neq; facultatem quisquam admiratur; (est enim copia rum, non virtutis) neque quisquam est, quin fatietate iam defessus sit. Sed aliter, atq; ostenderam facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiæ meæ: quare omnē hanc disputationem in aduentū tuum differo. Summa scito in expectatione te esse, eaq; à te exspectari, quæ a summa virtute, summoq; ingenio exspectanda sunt: ad quæ si es; vt debes, paratus; quod ita esse cōfido, plurimis, maximisq; muneribus, & nos amicos, & ciues tuos vniuersos, & rep. afficies: illud profecto cognosces mihi te neque cariorem; neque iucundiorē esse quemquam. Vale.

Cicero S. D. Curioni. Fam. lib. 2. Ep. 4.

E Pistolarum genera multa esse non ignoras, sed vnum illud certissimum, cuius causa inuēta res ipsa est, vt certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire, aut nostrā, aut ipsorum interesset:
huius

huius generis literas á me profectó non expectas: tuarum enim rerum domesticarum habes, & scriptores, & nuntios: in meis autem rebus nihil est sané noui. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quæ me magnoperè delectant; vnum familiare, & iocosum: alterum seuerum, & graue; vtro me minus deceat vti, non intelligo. Iocerne tecum per litteras? eiuem me Hercule non putó esse, qui temporibus his ridere possit. An grauius aliquid scribam? quid est, quod possit grauiter á Cicerone scribi ad Curionem, nisi de republica, atque in hoc genere hæc mea causa est, vt neq; ea, quæ nunc sentio, velim scribere. Quam obrem, quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est; vtar ea clausula, qua soleo; teque ad studium summæ laudis cohortabor: est enim tibi grauis aduersaria constituta, & parata, incredibilis quædam expectatio: quam tu vna re facillime vinces, si hoc statueris, quarum lau-

C

dum

dum gloriam adamaris, quibus artibus cæ
 laudes comparantur, in ijs esse elaboran-
 dum. In hanc sententiam scriberē plura,
 nisi te tua spōte fatis; incitatum esse cōfi-
 derem, & hoc quidquid attingi, non feci in-
 flammandi tui causa, sed testificādi amoris
 mei. Vale.

Cicero S. D. Curioni: Famil. lib. 2. Ep. 6.

Nondum erat auditum, te ad Italiam
 aduentare, cum Sex. Viliū, Milonis
 mei familiarem cum his ad te literis misi;
 sed tamen cum appropinquare tuus adue-
 tus putaretur, & te iam Asia Romam ver-
 sus profectum esse cōstaret; magnitudo rei
 fecit, ut non verere mur, ne nimis citò mit-
 teremus, cum has ad te quamprimum per-
 ferri literas magnoperè vellemus. Ego, si
 mea in te essent officia solūm, Curio, tāta,
 quanta magis à te ipso prædicari, quàm à
 me ponderari solent; verecundius à te, si
 quā magna res mihi petenda esset, con-
 tenderem. Graue est enim homini pu-
 denti

denti, p̄t̄ere aliquid magnum ab eō, de
 quo se bene meritū putet, ne id, quod pe-
 tat, exigere magis, quā rogare, & in merce-
 dis potius, quā in beneficij loco numerare
 videatur, sed quia tua in me vel nota om-
 nibus, vel ipsa nouitate meorum temporū
 clarissima, & maxima extiterunt, estque
 animi ingenui, cui multum debeas, eidem
 plurimum velle de bere: non dubitavi id à
 te per literas petere, quod mihi omnium
 esset maximum, maximèque necessarium,
 neque enim sum veritus, ne sustinere tua
 in me vel innumerabilia beneficia non
 possem, cum præsertim considerem nul-
 lam esse gratiam tantam, quam nō vel ca-
 pere animus meus in accipiendo, vel in re-
 munerādo, cumulandoque illustrare pos-
 sit. Ego omnia mea studia, omnem ope-
 ram, curam, industriam, cogitationem,
 mentem denique omnē in Milonis con-
 sulatu fixi, & locaui, statuique in eo me
 non officij solū fructum, sed etiam pic-

LIBER

tatis laudem debere quætere. Neque veró
 cuiquam salutē, ac fortunas suas, tãti fuisse
 vnquam puto, quanti mihi sit honos
 eius: in quo omnia mea posita esse decreui
 Huic te vnum tanto adiumento esse, si vo-
 lueris, posse intelligo, vt nihil sit præterea
 nobis requirendum: habemus hæc omnia
 bonorum studium conciliatum ex tribu-
 natu propter nostram, vt spero te intellige-
 re, causam, vulgi, ac multitudinis, propter
 magnificentiam munerum, liberalitatem-
 que naturæ, iuuentutis, & gratiosorum
 in suffragijs, propter ipsius excellentem
 in eo genere vel gratiam, vel diligentiam,
 nostram suffragationem si minus poten-
 tem, ac probatam, tamen & iustam, & de-
 bitam, & propterea fortasse etiam gratio-
 sam, dux nobis, & auctor opus est, eorū
 ventorum, quos proposui, moderator qui-
 dam, & quasi gubernator, qui si ex omni-
 bus vnus optandus esset, quem tecum con-
 ferre possemus, non haberemus, quamob-
 rem,

rem, si me memorem, si gratum, si bonum
 virum, vel ex hoc ipso, quod tam vehe-
 menter de Milone laborem, existimare
 potes, si dignum denique tuis beneficiis
 iudicas: hoc à te peto, vt subuenias huic
 meæ sollicitudini, vt huic meæ laudi, vel,
 vt verius dicam, propè saluti tuum studi-
 um dices. De ipso T. Annio tantum tibi
 polliceor, te maioris animi, grauitatis, con-
 stantiæ, beneuolentiæ erga te, si complecti
 hominem volueris habiturum esse neini-
 nem: mihi verò tantum decoris, tantum
 dignitatis adiunxeris, vt eundem te facile
 agnoscam fuisse in laude mea, qui fueris
 in salute. Ego ni te videre scirem, cū hæc
 ad te scriberem, quantum officij sustine-
 rem, quantopere mihi esset in hac petiti-
 one Milonis omni non modò contentio-
 ne, sed etiam dimicatione elaborandum,
 plura scriberem: nunc tibi omnem rem, at-
 que causam, meque totum com-
 mendo,

mēdo, atque trado; vnum hoc sic habet
 to, si à te hāc rem impetraro, me penè pluſ
 tibi, quàm ipſi Miloni debiturum: non eſt
 nīm mīhi tam mea ſalus chara fuit, in qua
 præcipuè ſum ab illo adiutus, quàm pietas
 erit in referenda gratia iucunda, eam au-
 tem tuo vnūſ ſtudio me aſſequi poſſe
 confido. Vale.

*Cicero Procos. S. D. M. Cælio Ruſo: Ædili-
 cur. des. Fam. lib. 2. Epiſt. 9.*

Primūm tibi, vt debeo, gratulor, lætor-
 que cum præſenti, tum etiam ſperata
 tua dignitate, ſerius, non negligentia mea,
 ſed ignoratione rerum omnium, in ijs
 enim ſum locis, quò & propter longinqui-
 tatem, & propter atrociniã tardiffimè
 omnia perferunt; & cum gratulor, tum
 verò, quibus verbis tibi gratias agam, non
 reperio, quod ita factus ſis, vt dederis no-
 bis, quemadmodum ſcripſeras ad me, quē
 ſemper videre poſſemus, itaq; cum primū
 audivi, ego ille ipſe factus ſum, (ſcis quē
 dicam

dicam) egiq; omnes illos adolescentes, quos ille iactitat: difficile est loqui, te autem contemplans absentem, & quasi tecum coram loquerer. Non ædepol quantum egeris rem, neq; quantum facinus feceris, quod quia præter opinionem mihi acciderat, referebam me ad illud: Incredibile hoc factu obijcitur, repente verò incepsi omnibus lætitijs, in quo cum obiurgarer, quod nimio gaudio penè desiperẽ, ita me defendebant: Ego voluptatem animi nimiam, quid quæris? dum illum rideo penè sum factus ille. Sed hæc pluribus, multaq; alia, & de te & ad te, cum primũ ero aliquid otij nactus. Te verò, mi Rufe, diligo, quem mihi fortuna dedit amplificationem dignitatis meæ, vltorem non modo inimicorum, sed etiam inuidorum meorum: vt eos partim scelerum suorum, partim etiam ineptiarum pœniteret. Vale.

Ci. imp. S. D. Cælio Edili cur. Fam. lib. 2.

Epist. III. 14.

PUtares ne vnquam accidere posse, vt
 mihi verba deessent, neque solum ista
 vestra oratoria, sed hæc etiam lenia nostra
 tia? desunt autem propter hanc causam,
 quod mirificè sum sollicitus, quidnam de
 prouincijs decernatur. Mirum me deside-
 rium tenet vrbis, incredibile meorum, at-
 que in primis tui, satietas autem prouin-
 ciæ, vel quia videmur eam famam conse-
 cuti, vt non tam accessio quærenda, quã
 fortuna metuenda sit: vel quia totum ne-
 gotium nõ est dignum viribus nostris, qui
 maiora in repub. onera sustinere, & possi-
 mus, & soleamus: vel quia belli magni ti-
 mor impendet: quod videmur effugere, si
 ad constitutam diem decedemus. De pan-
 theris per eos, qui venari solent, agitur mã-
 dato meo diligenter, sed mira paucitas est:
 & eas, quæ sunt, valde aiunt quæri. quod
 nihil cuiquam insidiarum in mea prouin-
 cia, nisi sibi, fiat, itaque constituisse dicun-
 tur in Cariam ex nõstra prouincia dece-
 dere

dere; sed tamen sedulô fit, & in primis à
 Patifcho, quicquid erit, tibi erit: sed quid
 planè esset, nesciebamus. Mihi me hercu-
 cule magnæ curæ est ædilitas tua: ipsa dies
 me admonebat: scripsi enim hæc ipsis
 Megalensibus: tu velim ad me de omni
 rei p. statu, quam diligentissimè perferbas
 ea enim certissima putabo, quæ ex te cog-
 nouero. Vale.

Cicero imp. S. D. Cælio ædili cur.
Fam. lib. 2. Ep. 12.

Solicitus equidem eram de rebus urba-
 nis: ita tumultuosæ conciones, ita mo-
 lestæ quinquatrus afferebantur: nam cite-
 riora nondum audiebamus; sed tamen ni-
 hil me magis sollicitabat, quam in his mo-
 lestijs non me, si qua ridenda essent, ridere
 tecum: sunt enim multa: sed ea non audeo
 scribere: illud moleste fero, nihil me ad-
 huc his de rebus habere tuarum literarû:
 qua re, & si cum tu hæc leges, ego iam an-
 nuum munus confecero: tamen, obuiæ mi
 hi ve-

Hi velim sint literæ tuæ, quæ me erudiant
 de omni repub. ne ho spes planè veniam:
 hoc melius, quàm tu, facere nemo potest.
 Diogenes tuas homo modestus, à me cum
 Philone Pessinunte discessit, iter habeant
 ad Deiotarum regem: quamquam omnia
 nec benigna, nec copiosa cognorant. Ur-
 bem, mi Rufe, cole, & in ista luce viue,
 omnis enim peregrinatio, quod ego ab a-
 dolescētia iudicauī, obscura, & fœdida est
 ijs, quorum industria Romæ potest illustris
 esse, quod cum probè scirem, utinam in
 sententia permanissem, cum vna me her-
 cule ambulatiuncula, atque vno sermone
 nostro omnes fructus prouinciæ non con-
 fero. Spero me integritatis laudem con-
 secutum, non erat minor ex contemnē-
 da, quam ex conseruata prouincia spes
 triumphī, inquis? satis gloriose triumphā-
 rem, si non essem tam diu quidem in desi-
 derio rerum mihi charissimarum: sed, ut
 spero, propediem te videbo, tu mihi ob-
 uia m

uiam mitte epistolas te dignas: Vale.

Cicero imp. S. D. Calio A. di. i. Cur.

Famil. lib. 2. Epist. 13.

R Aras tuas quidem, (fortasse enim nō
perferuntur) sed suaues accipio lite-
ras, vel quas proximē acceperam, quā
prudentes, quā multi & officiij, & consi-
lij: etsi omnia sic constitueram mihi agen-
da, vt tu admonebas, tamen confirmantur
nostra consilia, cū sentimus prudētibus,
fideliterq; suadentibus idem videri. Ego
Appiū, vt sēpē tecum locutus sum, valde
diligō: meque ab eo diligi statim cōceptū
esse, vt similitatem deposuimus, sensi: nā
& honorificus in me Consul fuit, & suavis
amicus, & studiosus studiorum etiam
meorū: mea verō officia ei non defuisse,
tute es testis: quoniam, vt opinor, accidit
Phania, & me hercule etiam pluris cum
feci, quōd te amari ab eo sensi, iam, me-
Pompeij totū esse scis: Brutum à me
amari intelligis, quid est causa, cur mihi nō
lit

fit in opratis, complecti hominem floren-
 tem ætate, opibus, honoribus, ingenio, li-
 beris, propinquis, affinibus, amicis, colle-
 gam meum præsertim, & in ipsa collegij
 laude, & scientia studiosum mei? Hæc cõ-
 pluribus scripsi, quòd mihi significabant
 tuæ literæ sub dubitate te, qua essem erga
 illum voluntate: credo te audisse aliquid,
 falsum est: mihi crede, si quid audisti, ge-
 nus institutorum, & rationum mearum
 dissimilitudinem nonnullam habet cum
 illius administratione provinciæ, ex eo qui-
 dam suspicati fortasse sunt, animorum cõ-
 tentione, non opinionum dissentione, me
 ab eo discrepare, nihil autem feci unquam,
 neque dixi, quod contra illius existima-
 tionem esse vellem: post hoc negotium
 autem, & temeritatem nostri Dolabellæ
 deprecatorum me pro illius periculo præ-
 beo. Erat in eadem epistola veteris civi-
 tatis, gaudebam sane, & congelasse nostrū
 amicum lætabar otio. Extrema pagella

pupugit me tuo chirographo: quid ais? Cæ-
 sarem nunc defendit Curio? quis hoc pu-
 taret præter me? nam, ita viuam, putauí.
 Dij immortales, quàm ego risum nostrum
 desidero. Mihi erat in animo, quoniam iu-
 risdictionem confeceram, ciuitates locu-
 pletaram, publicanis etiã superioris Iustri
 reliqua sine sociorum vlla querela confer-
 uaram, priuatis, summis, infimis, fueram iu-
 cundus, proficisci in Ciliciam nonis Maij
 & cùm primùm æstiuam attigissem, milita-
 remque rem collocassem, decedere ex S.
 C. Cupio te Ædilem videre, miroque de-
 siderio me vrbs afficit, & omnes mei, tuq;
 in primis. Vale.

*Cicero imp. S. D. Cælio Ædili cur. Famil. 2.
 Ep. 14.*

Marco Fabio viro optimo, & homine
 doctissimo familiarissimè vtor, mi-
 rificeque cum diligo, cùm propter sum-
 mum eius ingenium, summamque doctri-
 nam, tum propter singularem modestiam
 eius

eius negotiũ sic velim suscipias, vt si esset res mea: noui ego vos magnos patronos, hominẽ occidar, oportet, qui vestra opera vti velit: sed in hoc homine nullam accipio excusationẽ; omnia relinques, si me amabis, cùm tua opera Fabius vti volet. Ego res Romanas vehementer expecto, & desidero, in primisque quid agas, scire cupio, nam iamdiu propter hyemis magnitudinem nihil noui ad nos afferebatur. Vale.

*Cicero imp. S. D. Caelio Ædili cur. Fam. 2.
Epist. 15.*

NON potuit accuratiùs agi, neque prudentiùs, quam actum est à te cum Curione de supplicatione; & me hercule confecta res est ex mea sententia, cùm celeritate, tum quod is, qui erat iratus cõpetitor tuus, & idem meus assensus est ei, qui ornauit res nostras diuinis laudibus, quare scito me sperare ea, quæ sequuntur, ad quæ tu te para. Dolabellam à te gaudeo primũ

primum laudari, deinde etiam amari: nā
 ea, quæ speras Tulliaæ meæ prudentia tē-
 perari posse, scio cui epistolæ tuæ respon-
 deant: quid si meam legas, quam ego, tū
 ex tuis literis misi ad Appoiū? Sed quid
 agas? sic viuitur, quod actū est, dij appro-
 bent. Spero fore iucundum generum no-
 bis: multū in eo tua nos humanitas adiu-
 uabit. Resp. me valde sollicitat, faueo Cu-
 rioni: Cæsarem honestum esse cupio: pro
 Pompeio emori possum, sed tamen ipsa
 rep. nihil mihi est charius, in qua tu non
 valde te iactas, districtus enim mihi vide-
 ris esse, quod & bonus ciuis, & bonus ami-
 cus es. Ego de prouincia deeedens, quæ-
 storem Cœlium præposui prouinciæ: pue-
 rum, inquis? at quæstorem, at nobilem
 adolescentem, at omnium ferè exemplo,
 neque erat superiore honore vsus, quem
 præficerem. Pontinius multo ante disces-
 serat: à Q. fratre impetrari non poterat,
 que metamē si reliquissimā, ducerent ini-
 qui

qui, non me planè post annum, ut senatus
 voluisset, ex prouincia decessisse, quoniã
 alterum me reliquisset, fortasse & illud
 adderent, senatum eos voluisse prouincijs
 præf. , qui antea non præfuisse: fra-
 trem meum triennium Asiæ præfuisse: de-
 nique nunc sollicitus non sum, si fratrem
 reliquisset, omnia timerem, postremo,
 non tam mea sponte, quam potentissimo-
 rum duorum exemplo, qui omnes Cassios
 Antoniosque complexi sunt, hominem a-
 dolescentem non tam allicere volui, quàm
 alienare nolui, hoc tu meum consilium
 laudes necesse est, mutari enim nõ potest.
 De Ocella partim planè ad me scripseras,
 & in actis non erat. Tuæ res gestæ ita no-
 tæ sunt, ut trans montem Taurum etiam
 de Matrino sit auditum. Ego, nisi quid
 me Ecclesiæ morabuntur, celeriter, ut spe-
 ro, vos videbo. Vale.

Cicero imp. S. D. Cælio adili cur.

Fam. 2. Ep. 16.

Magnò

Magno dolore me affecissent tuæ literæ, nisi iam & ratio ipsa depulisset omnes molestias, & diuturna desperatione rerum obduruisset animus ad dolorem nouum, sed tamen quare acciderit, vt ex meis superioribus literis id suspicari, quod scribis, nescio; quid enim fuit in illis præter querelam temporum, quæ nõ animum meum magis sollicitum haberent, quàm tuum? nam nõ eam cognoui aciem ingenij tuî, quod ipse videam, te vt id nõ putem videre: illud miror, adduci potuisse te, qui mo penitus nosse deberes, vt me existimares aut tam improuidum, qui ab excitata fortuna ad inclinatam, & propè iacentem desciscerem, aut tã inconstantẽ, vt collectam gratiam florentissimî hominis effunderem, à meque ipse deficerem, & quod inîtio, semperque fugi, ciuili bello interessem. Quod est igitur meum triste consiliũ? vt discederem fortasse in aliquas solitudines nosti enim non modò stomachi

D chi

LIBER

chí meí, cuius tu similem quondam hábe-
 bás, sed etiam oculorum in hominum in-
 solentium indignitate fastidium. Accedit
 etiam molesta hæc pompa licetorum meo-
 rum, nomenque imperij, quo appellor, eo si
 onere carere, quamuis parvis Italiæ lete-
 bris contentus essem, sed incurrit hæc no-
 stra laurus non solum in oculos, sed iam
 etiam in vuculas maleuolorum: quod cùm
 ita esset, nihil tamé nunquam de profectio-
 ne, nisi vobis approbantibus, cogitavi, sed
 mea prædiola tibi nota sunt: in his mihi
 necesse est esse, ne amicis molestus sim.
 Quòd autem in maritimis facillimè sum,
 moueo nonnullis suspicionem, velle me
 nauigare: quod tamen fortasse nō nollem,
 si possem ad otium, nam ad bellum quidē
 qui conuenit? præsertim contra eum, cui
 spero me satisfecisse, ab eo, cui tamen sa-
 tis fieri nullo modo potest. Deinde senten-
 tiam meam tu facillimè perspicere potui-
 sti iam ab illo tempore, cùm in Cumam

mihi obtiniam venisti: non enim te celauī,
 sed nonne tūm prouidisti quā abhorre-
 rem ab vrbe relinquenda? quod cū au-
 disse, nonne tibi affirmavi, quiduis me
 potius perpeffurum, quā ex Italia ad bel-
 lum ciuile exiturum? quid ergo accidit,
 cur consiliū mutare? nonne omnia po-
 tius, ut in sententia permanerem? credas
 hoc mihi velim, quod puto te existimare,
 ex his miserijs nihil aliud me quærere, nisi
 ut homines aliquando intelligant, me ni-
 hil maluisse, quā pacem; ea desperata, ni-
 hil tam fugisse, quā arma ciuilia, huius
 me constantiæ puto fore, ut nunquā poeni-
 teat: etenim memini in hoc genere gloria-
 ri solitū esse familiarem nostrum Q. Hor-
 tensium, quod nunquam bello ciuili in-
 terfuisset, hoc nostra laus erit illustrior,
 quod illi tribuebatur ignatiæ: de nobis id
 existimari posse non arbitror. Nec me ista
 terrent, quæ mihi à te ad timorem fidissi-
 mē, atque amantissime proponuntur: nulla

est enim acerbitas, quæ non omnibus, hac orbis terrarum perturbatione, impendere videatur; quam quidem ego à Repub. meis priuatis, & domesticis incõmodis libentissimè, vel istis ipsis, quæ tu me mones, vt chaucam, redemisssem. Filio meo, quẽ tibi carum esse gaudeo, si erit vlla resp. satis amplum patrimonium relinquam memoriam nominis meĩ, sin autem nulla erit, nihil accidet ei separatim à reliquis ciuibus. Nam quod rogas, vt respiciam generum meum, adolescentem optimum, mihi que carissimũ: an dubitas, cùm scias quãti cùm illũ, tum verò Tulliam meam faciam, quin ea me cura vehemētissime sollicitet? & eò magis, quòd in cõmunibus miserijs, hac tantam oblectabar specula, Dolabellam meum, vel potius nostrum, fore ab ijs molestijs, quas liberalitate sua contraxerat, liberum: velim quæras, quos ille dies sustinuerit, in vrbe dũ fuit, quã acerbos sibi, quam mihi ipsi fecero nō honestos

nestos: itaque neque ego hunc Hispanie
sem casum expecto, de quo mihi explora-
tum est, ita esse, ut tu scribis: nec quidquam
astute cogito, si quando erit ciuitas, erit
profecto nobis locus: sin autem non erit,
in eadem solitudines tu ipse, ut arbitror,
uenies, in quibus nos confedisse audies; sed
ego fortasse halucinor, & hæc omnia me-
liores habebunt exitus, recordor enim des-
perationes eorum, qui senes erant, adoles-
cente me, eos ego fortasse nunc imitor, &
utor ætatis vitio: velim ita sit, sed tamen
togam prætextam texi Oppio, puto te au-
disse. Nam Curtius noster dibaphum co-
gitat: sed eum infector moratur. Hæc as-
persi, ut scires, me tamen in stomacho so-
lere ridere. De Dolabella, quod scripsi,
suadeo videas, tamquam si res tua agatur.
Extremum illud erit: nos nihil turbulen-
ter, nihil temere faciemus; te tamen ora-
mus, quibuscumque erimus in terris, ut
nos, liberosque nostros ita tueare, ut ami-

LIBER

citia nostra, & tua fides postulabit. Vale.

*M. Cicero imp. S. D. 2 Thermo Pro-
prat. Fam 2 Ep. 18.*

Officium meum erga Thodenem, cæ-
teraque mea studia, quæ tibi, ac tuis
præstiti, tibi homini grauiſſimo grata eſſe,
vehementer gaudeo: mihi que ſcito in dies
maiori curæ eſſe dignitatem tuam: quæ
quidem à te ipſo integritate, & clementia
tua ſic amplificata eſt, vt nihil addi poſſe
videatur, ſed mihi magiſq; quotidie de
rationibus tuis cogitanti, placet illud meū
conſilium, quod initio Ariſtoni noſtro, vt
ad me venit, oſtendi graues te ſuſcepturū
inimicitias, ſi adoleſcens potens, & nobilis
à te ignominia affectus eſſet, & hercle ſi-
ne dubio erit ignominia: habes enim ne-
minem honoris gradu ſuperiorem, ille au-
tem, vt omittam nobilitatem, hoc ipſo
vincit viros optimos, homineſque innocen-
tiſſimos, legatos tuos, quòd & quæſtor eſt,
& quæſtor tuus, nocere tibi iratum, nemi-
nem

nem posse perspicio: sed tamèn tres fratres, summo loco natos, promptos, non indifertos, te nolo habere iratos, præsertim iure: quos video deinceps tribunos pleb. per triennium fore: tempora autem reip. qualia futura sint, quis scit? mihi quidem turbulenta videntur fore: cur ego te velim incidere in terrores tribunicios? præsertim cum sine cuiusquam reprehensione legatis quæstotem possis anteferre: qui si dignum se maioribus suis præbuerit, ut spero, & opto; tua laus ex aliqua parte fuerit; sin quid offenderit; sibi totum, nihil tibi offenderit. Quæ mihi veniebāt in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabar, quòd in Ciliciã proficiscebar, existimaui me ad te oportere scribere: tu quod egeris, id velim dij approbent: sed, si me audies, vitabis inimicitias, & posteritatis otio confules. Vale.

M. Cicero imp. S. D. C. Cælio L. F. quæst.
Famil. 2. Ep. 19.

LIBER

Cum optatissimum nuntium accepis-
 sem, te mihi quaestorem obtigisse, eo
 iucundior mihi eam sortem sperabam
 fore, quod diutius in provincia mecum fuisset:
 magni enim videbatur interesse, ad
 eam necessitudinem, quam nobis fors tribuisset,
 consuetudinem quoque accedere, postea cum mihi
 nihil neque a te ipso, neque ab ullo die de
 adventu tuo scriberetur, verebar, ne id ita
 caderet, quod etiam nunc vereor, ne ante,
 quam tu in provinciam venisses, ego de
 provincia decederem: accipi autem a te
 missas literas in Cilicia, cum essem in
 castris, ad X. Kal. Quint. scriptas humanis-
 simè: quibus facile & officium, & ingenium
 tuum perspicere possit, sed neque unde,
 neque quo die datae essent, aut quo tempore
 te expectarem, significabant: nec is, qui
 attulerat, a te acceperat: et ex eo scirem,
 quo ex loco, aut quo tempore essent datae,
 quae cum essent incerta, existimaui tamen
 esse faciendum, ut ad te statores
 meos,

meos, & lictores cum literis mitterem, quas si fatis opportuno tempore accepisti, gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliciam quamprimum veneris. Nam quod ad me Curius consobrinus tuus, mihi, ut scis, maximè necessarius: quod item C. Virginius, propinquus tuus, familiarissimus noster, de te accuratissimè scripsit, valet id quidem apud me multum, sicuti debet hominum amicissimorū diligens cōmendatio, sed tuæ litteræ, de tua præsertim dignitate, & de nostra coniunctione, maximi sunt apud me pōderis: mihi quæstor optatior obtingere nemo potuit: quãobrem quecumquæ à me ornamenta in te proficiscentur: ut omnes intelligant à me habitam esse rationem tuæ, maiorumque tuorum dignitatis, sed id iam facilius cōsequar, si ad me in Ciliciã veneris, quod ego & mea, & reipub. & maximè tua interesse arbitror. Vale.

LIBER

M. Cicero S. L. C. Curioni Famil.

lib. 2. Epist. 1.

Q Vanquam me nomine negligentiae suspectum tibi esse doceo: tamen non tam mihi molestum fuit accusari abs te officium meum, quam iucundum requiri: praesertim cum, in quo accusabar, culpa vacarem; in quo autem desiderare significabas meas litteras praete ferre, perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem, & optatum amorem tuum. Equidem neminem praetermissi, quem quidem ad te perusenturum putarem, cui litteras non dederim: etenim quis est tam in scribendo impiger, quam ego? a te vero bis, terve ad summum, & eas perbreves accepi. quare si iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego te crimine; si me id facere noles, te mihi aequum praebere debebis. Sed de literis haecenus, non enim vereor, ne non scribendo te expleam; praesertim si in eo genere studium meum non aspernaberis. Ego

re. Ego te abfuisse tandiu à nobis, & doleo, quòd carui fructu iucūdiſſimæ cōſuetudinis tuæ: & lætor, quod abſens omnia cum maxima dignitate es cōſecutus, quòd que in omnibus tuis rebus meis optatis fortuna reſpōdet. Breue eſt, quod me tibi præcipere meus incredibileſ in te amor cogit. Tāta eſt expectatio vel animi, vel ingenij tui, vt egote obſecrare, obteſtari que nō dubitē, ſic ad nos confirmatus reuertare, vt, quam expectatōnem tui concitaſti, hanc ſuſtinere, ac tueri poſſis. Et quoniam meā tuorum erga me meritorum memoriā nulla vnquam delebit obliuio; te rogo, vt memineris, quātæcumque tibi acceſſiones ſient, & fortunæ, & dignitatis, eas te non potuiſſe conſequi, niſi meis puer olim fideliffimis, atque amantiſſimis conſilijs paruiſſes, quare hoc animo in nos eſſe debbis, vt ætas noſtra iam in graueſcens in amore, atque in adoleſcentia conquieſcat tua. Vale.

LIBER

Cicero S. D. Curioni. Famil. lib. 2. Epist. 2.

GRavi teste priuatus sum amoris summi erga te mei, patre tuo, clarissimo viro: qui, cum suis laudibus, tum vero te filio, superasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut te ante videret, quam a vita discederet: sed spero nostram amicitiam non egere testibus: tibi patrimonium dii fortunet: me certe habebis, cui charus æque sis, & periculum cundus, ac fuisti patri. Vale.

Cicero S. D. Curioni. Famil.

lib. 2. Epist. 5.

HÆc negotia quodmodo se habeant, ne epistola quidem narrare audeo tibi: etsi, ubicumque es, ut scripsi ad te antea, in eadem es nauis: tamen, quod abes gratulor, vel quia non vides ea, quæ nos, vel quod excelso, & illustri loco sita sit laus tua, in plurimorum, & sociorum, & civium conspectu: quæ ad nos nec obscuro, nec vario sermone, sed & clarissima, & vna omnium voce perfertur. Vnum illud nescio, gratu-

lerne

lèrnetibi, an timeam, quòd mirabilis est expectatio reditus tui: nò quòd verear, ne tua virtus opinioni hominũ non respondeat: sed me hercule, ne, cùm veneris, nò habeas iam, quod cures: ita sunt omnia debilitata iam propè, & extincta. Sed hæc ipsa, nescio rectène fiat literis commissa, quare cetera cognoscēs ex alijs. Tu tamen siue habes aliquam spem de rep. siue desperas, ea para, meditare, cogita, quæ esse in eo ciue, ac viro debent, qui sit temp. afflictam, & oppressam miseris temporibus, ac perditis moribus in veterem libertatem, ac dignitatem vindicaturus. Vale.

Cicero Procos. S. D. Curioni pl.

Fam. lib. 2. Ep. 7.

Sera gratulatio; reprehendi non solet, præsertim si nulla negligentia prætermissa est: longè enim abs sum: audio serò, sed & tibi gratulor: &, vt sempiternæ laudi tibi sit iste tribunatus, exopto: teque hortor, vt omnia gubernes, & moderere pruden-

LIBER

prudentia tua, ne te auferant aliorum cō-
 silia, nemo est: qui sapientius tibi suadere
 possit teipf; nunquā labere, si te audies:
 non scribo hoc temere, cui scribam, video:
 noui animum, noui consilium tuum, non
 vereor: ne quid timidè, ne quid stultè fa-
 cias, si ea defendes, quæ ipse recta esse sen-
 ties Quòd in id reip. tempus non incide-
 ris, sed veneris, (iudicio enim tuo, nō casu-
 in ipsum discrimen rerum contulisti tri-
 bunatum tuum) profectò vides, quanta
 vis in rep. temporum sit, quanta varietas
 rerum, quam incerti exitus, quam flexibi-
 les hominum voluntates, quid insidiarum,
 quid vanitatis in vita, non dubito, quin
 cogites, sed amabo te, cura & cogita, nihil
 noui, sed illud idem, quod initio scripsi,
 tecum loquere: te adhibe in consilium,
 te audi: tibi obtempera: alteri, qui melius:
 dare consilium possit, quàm tu, non facilè
 inueniri potest: tibi verò ipsi certè nemo
 melius dabit. Dij immortales, cur ego nō
 adsum

adsum vel spectator laudum tuarum, vel
 particeps, vel socius, vel minister consilio-
 rum? tametsi hoc minimè tibi deest: sed
 tamen efficeret magnitudo, & vis amoris
 mei, consilio te ut possem iuuare. Scribam
 ad te plura aliàs, paucis enim diebus eram
 missurus domesticos tabellarios: ut quo-
 niam lanè feliciter, & ex mea sententia
 temp' gestis, vni literis totius æstat s
 res gestas ad senatum perscriberem. De sa-
 cerdotio tuo quantã curam adhibuerim,
 quàmque difficili in re, atque causa, cog-
 nosces ex ijs literis, quas Thrasoni liberto
 tuo, dedi. Te, mi Curio, pro tua incredi-
 bili in me beneuolentia, meaque item in
 te singulari, rogo, atque oro, ne patiare mi-
 hi quicquam ad hanc prouincialè mole-
 stiam temporis prorogari, præsens tecum
 egi, cum te tribunum pleb. isto anno fore
 non putarem: itemque petiui sæpius per
 literas, sed tũ quasi à senatore nobilissimo:
 & adolescente gratiosissimo, nũc à tri-
 buno

LIBER

buno pl. & à Curione tribuno, non vt, de-
cernatur aliquid noui, quod solet esse diffi-
cilius: sed vt ne quid noui decernatur, &
vt S. C. leges defendas, eaque mihi
conditio maneat, qua profectus
sum, hoc te vehemèter
etiam, atque etiam
rogo. Vale.

(?)

FINIS.